This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lt
6
507

Lt 6.507



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
MRS. ANNE E. P. SEVER,
OF BOSTON,
Widow of Col. James Warren Sever,
(Class of 1817,)
24 June, 1884.

QUAESTIONES TERENTIANAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE IN ACADEMIA FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA LEGITIME IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET UNA CUM ADIECTIS THESIBUS CONTROVERSIS

DIE XVII. MENSIS MARTII MDCCCXLIII HORA LEGITIMA

PUBLICE DEFENDET

(Joseph Aulon Friedrich)

GUILELMUS IHNE

ADVERSARIIS

H. BRUNN, PHIL. DOCT. RENUNTIAND.

H. KEIL, SEM. PHIL. SOD. ORD.

C. PRIEN, SEM. PHIL. SOD. ORD.

BONNAE,

LITTERIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXLIII.

Lt 6.507

Sewer Fund.

VIRO ILLUSTRISSIMO

FRIDERICO RITSCHELIO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

ET

DE SE MERITISSIMO

HAS PAGELLAS

GRATI PIIQUE ANIMI

TESTES ESSE VULT

SCRIPTOR.

Praefatio.

Quum ante hos sedecim menses Amplissimus Philosophorum Ordo civibus academicis de praemio certaturis quaestionem proposuisset *Quae Terentius in singulis fabulis graeca exempla sit secutus iisque quomodo usus sit*, ego rem sum aggressus, magis audacia quadam iuvenili abreptus et confidens iudicum meorum benevolentiae et clementiae, quam quod crederem paucis, quae in Terentii lectione collocaveram studiis satis me praeparatum esse ad propositum opus suscipiendum et cum aliquo successu perficiendam. Nec me fefellit quam habui de Ordinis Philosophorum aequitate opinio. Iudicavit enim de dissertatione mea tam benigne eoque studium meum tam mirifice auxit, ut constituerem non in hac prima subsistere exercitatione, sed totam scriptionem maiore adhibita diligentia et lima subtiliore retractatam in lucem emittere. Occasio sese offerebat peropportuna. Nam quum ad impetrandos summos in philosophia honores dissertatio mihi more recepto scribenda esset, nihil aptius mihi videbatur et commodius quam uti ad hanc rem illa

qua praemium merueram disputatione. Id tantum aegre ferebam, quod propter nimios sumtus non potui totum libellum typis excudendum curare; quamquam hoc ipsum ex alia parte mihi iucundum fuit. Nam quum in maximis otii angustiis ne eam quidem, quam seiunxi et nunc lectoribus praebeo particulam possem ita ut et volui et decuit pertractare et ab omni parte absolvere, qui potuissem sperare, toto opusculo una edito viris doctis me ullo modo gratificaturum? Quare laetor, posse me partem posteriorem nunc etiam retinere, et spero fore ut ea nonnullorum mensium labore concocta et pertractata magis sit quam haec prior placitura.

Non mediocrem viris doctis difficultatem exhibuit Volcatii Sedigiti apud Gellium XIV, 24 de comicis Romanorum poetis iudicium, a quo quum aequo animo viderint primum locum Caecilio tribui et Plauto secundum, non ferre potuerunt, Terentium, scriptorem elegantissimum, quem dimidiatum Menandrum Caesar, iudex in hac re gravissimus, vocaverit, sexto demum loco collocari et postponi Naevio, Licinio, Attilio, nominis multo obscurioris poetis. Hanc difficultatem nuper Ladewigius (in disp. de Canone Volcatii) solvere conatus est ita ut diceret, Volcatium in ordinandis comicis latinis spectasse non praestantiam fabularum in universum sed minorem maioremve, quam in transferendis graecis adhibuerint diligentiam. Quod quam sit vere disputatum, nunc non curo; quod autem ad Terentium attinet, lectio eius poetae diligentissima eo me adduxit, ut si eam quam Ladewigius Volcatio tribuit mensuram adhibeas, sextum locum iure eum obtinere contendam. Scio quidem hanc meam sententiam mirum quantum abhorrere ab ea, quae nunc est vulgaris; sed hac cogitatione me non patiar retineri quominus, quod mihi persuasum est, argumentando coner aliis quoque persuadere. Confido autem mea argumenta non fore debiliora quam adversariorum meorum; nam Schroederus ita disputat (Disp. de Rom. morib. pall. fabb. immixtis p. 6) „*artificis* praeconium nullo modo tribui potuisse (sc. ab Hor. Ep. II. 1, 59) versificatori, qui graecas fabulas reddidisset tantummodo et in latinum transtulisset sermonem", et paulo post ait „Quo vero pacto *fecisse* se fabulas profiteri poterat Terentius (sc. Andr. prol. 2 Eun. prol. init.) si fide

tantum reddidisset a Menandro“ et „Clarum est, tam illustres viros (sc. Laelium, Scipionem, Servilium) honorariam solius interpretationis operam neque professuros fuisse neque opus habuisse Terentium“, et, quo nihil facetius (p. 8) „Cum Donatus raro graecorum comicorum verba Terentianis addiderit, quod genus interpretandi et commentandi et utilissimum erat et ad diiudicandum Terentium maxime necessarium, certissimum mihi videtur, pleraque omnia et in personarum dispositione et in sententiarum ordine ita discrepuisse, ut quid cuique responderet, certo affirmari paucis tantum locis posset.“ G. A. Beckerus (de com. Roman. fabb. p. 80) de Terentii Eunucho dicit „Illud concedam, scenae insequentis (II. 2) partem ad v. 34 usque e Colace esse translatam, deinde vero quum rivalem Phaedriae Thrasonem fecerit Terentius, quis non videt, ita poetam Colace usum esse, ut eodem ingenio eademque disciplina fingeret parasitum et militem, *sermonibus autem, ut ab argumento Eunuchi alienis, aut omnino non aut parcius uteretur.*“

C. Fr. Hermannus (Disput. de Adelph.) ita mutata esse a Terentio graeca exempla animum induxit, ut non in actibus tantum et scenis multa variata dicat, sed etiam moribus praeditas esse quasdam personas Terentianas contendat, a graecis personis, a quibus translatae sint, non uno alterove loco sed per totam fabulam abhorrentibus.

Sed longe gravissimus adversarius est Grauertus, quoniam is veritati est proximus. Namque quum in Analectis historicis et philologicis primus doctissime exposuerit quid sit *contaminatio* fabularum latinarum, ultra verisimilitudinem auxit eam Terentii in transferendo negligentiam, quam necessario cum contaminatione coniunctam esse rectissime vidit. Haec sententia sitne probanda an relinquenda, singulis pertractandis Terentii fabulis age videamus.

De Andria.

Grauertus in Analectis historicis et philologicis (p. 173 sqq.) Terentii Andriam diligentissime comparavit cum exemplaribus graecis. Quorum quum duo fuerint, Menandri Andria et Perinthia (Ter. And. prol. 9 sqq.), sat feliciter Grauertus ea indagavit, quae e priore fabula graeca in latinam migrarunt; minore successu est in altera usus. Nam totam fere fabulam Terentianam potuit partim graecorum fragmentorum ope partim rationibus usus ex fabulae oeconomia petitis ex graeca Andria repetere, exceptis paucis scenis, quas tamen non e Perinthia admixtas sed ab ipso Terentio inventas esse studuit demonstrare. Spectant eae scenae ad Charini amorem et Philumenae, quem amorem in graeca Andria non tractatum esse scimus testimonio Donati. Priusquam autem Terentio eas scenas adiudicemus, inquirendum videtur in totam rem paullo diligentius.

Igitur si verum est, de quo non videtur dubitandum, praeter scenas II. 1, II. 2, IV. 1, IV. 2, V. 5, V. 6 omnes Andriae scenas ex cognomine fabula graeca fluxisse [1]), ipsas

1) Scenas quidem I. 4 et I. 5 Grauertus (Anall. p. 189) ex Perinthia derivandas consuit adductus fragmento ab Athenaeo (XI. p. 504, a) servato: *Οὐδεμίαν ἢ γραῦς ὅλως Κύλικα παρῆκεν ἀλλὰ πίνει τὴν κύλῳ* (pro quo scribendum credo *ἀλλ' ἔπιεν αὐτὴν κύκλῳ*), quod fragmentum sagaciter vidit dictum esse de temulenta obstetrice, ad quam se mitti Mysis queritur (I. 4). Sed in hoc festinantius disputavit Grauertus. Nam quum scenam II. 3 ex Menandrea Andria derivatam esse constet (cf. Grauert. Anall. p. 179) in qua scena Davus Pamphilum consternatione et trepidatione liberat, necesse est, ipsam illam trepidationem antea in scena conspectam esse, quare ne minima quidem est dubitatio, quin etiam in graeca Andria locum habuerit Mysidis, Pamphilique

autem eas si Terentius de suo addidit; quid credamus esse e Perinthia adscitum? Nam acquiescere non possumus in eo, quod Grauertus dicit (p. 192): „Dies hat sich aus der gesammten Durchsicht der Fragmente ergeben, dass die Handlung der zwei griechischen Comödien im Ganzen und in den einzelnen Scenen sehr ähnlich war und viele einzelne *Gedanken* und *Ausführungen* von Terenz aus der einen (i. e. ex Perinthia) in die andre sehr wohl konnten übertragen werden, wogegen dann aus seiner hauptsächlichsten Quelle natürlich Manches ausfallen musste.“ Nam ea non est contaminatio, quam his verbis[2]) Grauertus a Terentio in Andria factam esse suspicatur. Scholiasta quidem videtur idem cogitasse, qui ad Andr. V. 5, 3 a Terentio totam sententiam[3]) de Menandri

---

colloquium i. e. scenae I. 4 et I. 5. Ut autem Terentianas scenas ex Perinthia potius quam ex Andria repetamus, nullo modo induci possumus graeci fragmenti et latinorum versuum (in sc. I. 4) similitudine, quae est valde exilis. — Erravit etiam in eo Grauertus, quod sat firmo argumento uti noluit, quo scenam III. 3 ex graeca Andria potuit deducere. Nimirum Donatus ad v. 11 *Ah, ne me obsecra* adscripsit: *Pro ne obsecres τῷ ἑλληνισμὸν μὴ λιτάνευε memor* quae Pithoeus et Lindenbrogius cum aliqua probabilitate ita refinxerunt *τῷ ἑλληνισμῷ μὴ λιτάνευε μὴ μάχου*. Sed Grauertus (Anall. p. 182), num hoc sit fragmentum Menandri dubitat propterea, quod Donatus si eum poetam citare voluisset, non dixisset *τῷ ἑλληνισμῷ*. Videretur hoc iure suo contendisse Grauertus, si Donatus, vel quicunque fuit ille scholiasta, ipse ex ipso Menandro graeca verba exscripsisset. Quoniam autem (de qua re infra disputabitur) ex vetere quodam commentario Terentiani scholiastae, quae graeca afferunt, hauserunt, aliter est iudicandum. Comparetur scholium ad Andr. I. 2, 33 *Figura est ἑλληνισμὸς ἀ loco οὐδέν με λανθάνοις ἄν*, quae verba quin sint Menandri ex Andria descripta nemo dubitat, quum ibidem alter scholiasta, adscripserit: *Sic Menander πάνυ καὶ οὐδὲν λέληθάς με ἄν*, quae corrigenda esse ad alterius scholii normam vidit Meinekius.

2) Idem Anall. p. 205 dicit Grauertus.

3) Sententia haec est: *Ego deorum vitam eapropter sempiternam esse arbitror. Quod voluptates eorum propriae sunt*, ad quam unus scholiasta

Eunucho translatam esse affirmans *Et hoc*, ait, *est quod dicitur: Contaminari non debere fabulas;* sed tamen nihil est, quod minus sit verum. Nam singulas sententias ex alio scriptore mutuari nullus unquam antiquorum dubitavit; quare Afranius Cicerone auctore (De finibb. I. 7) *solitus erat*, locos quosdam de Menandro transferre, atque de se ipse scripsit (Macr. Sat. VI. 1)

— Fateor, sumpsi non ab solo illo modo,
Sed ut quisque haberet conveniret quod mihi,
Quod me non posse melius facere credidi,
Etiam a Latino.

Quis autem est, qui Afranium, togatarum scriptorem, contaminasse dictitet? Quae cum ita sint, qua fretum audacia Luscium credamus id tanquam peccatum Terentio obiicere esse ausum, quod sibi indulgebant omnes? Apparet aliam dici contaminationem, non eam, quam Grauertus (pag. 192) significat, verbis Terentianis (prol. 14):

Quae convenere, in Andriam ex Perinthia [4])
Fatetur transtulisse atque usum pro suis.

Et Epicurum secutus hoc dixit, alter *Totam sententiam Menandri de Eunucho translatam esse* affirmat. Quae quamquam ita conciliantur, ut doctrinam de Epicuro, non verba transtulisse Terentium dicamus, (id quod tertius scholiasta significat quum dicit: *Et est δόγμα ἐπιχούρειον*); tamen talis est illa sententia, ut non semel in Eunucho sed sexcenties alias pronuntiatam esse a Menandro arbitrer, quapropter scholiastis vix maiorem fidem tribuendam censeo, quam scholio ad Ad. IV. 2, 38, secundum quod Terentius imitatus est Homerum, qui dicit *caprificum prope Troiana moenia constitutam.* Quare nullam omnino vim habet Grauerti argumentatio, qua, quia ex *Eunucho* Menandri sententia illa translata sit, dicit probari, a Terentio reliquam scenam esse inventam. Nonne Terentius eam sententiam cum tota reliqua scena potuit e Menandro transferre?

4) Ita interpungendum cum Bentleio, aut post *Perinthia*, scilicet ut aut ad *convenere*, aut ad *transtulisse* mente addendum sit *in Andriam ex Perinthia.* Male Grauertus post *Andriam* interpunxit; nam non omnia,

Non enim sententiae quaedam et figurae orationis ex Perinthia in Andriam latinam translatae sunt, ut voluit Grauertus., sed certae partes actionis, neque eae partes paucorum versuum circumscribuntur finibus, quod Grauertus fortasse concedat (Anall. p. 189) sed patent latius.

At, dices, qui ex Perinthia mutuari Terentius potuit scenas ab Andriae argumento alienas, quum constet, duas illas fabulas Menandri tam similes fuisse, ut *Qui utramvis recte norit, ambas noverit?* Haec dubitatio facile removetur. Nimirum Terentius quum (prol. 11) *non ita dissimili argumento fuisse Andriam et Perinthiam* auctor sit, consequitur, id quod per se est credibile, *aliquam* certe inter duas fabulas differentiam intercessisse. Atque eam differentiam quantulamcunque aucto potius quam mutato argumento esse effectam verisimile est. Nam teste Donato (ad prol. 10) *prima scena Perinthiae paene iisdem verbis, quibus Andria* (fortasse scribendum *Andriae*) *scripta est.* Quae scena quum narrationem contineat rerum ante actarum (quam nos *expositionem* vocamus) facile perspicitur, in summa argumenti vix posse quicquam in ea fabula a Menandro mutatum esse, quam secundam scripserit, addi ceteris non mutatis novum aliquid potuisse. Idem hoc quadrat in Donati testimonium (l. c.) *duos locos, alterum versuum XI, alterum XX in utraque fabula*[5]) *positos fuisse*, quia si additis novis scenis reliqua integra fere retinebantur, potuerunt facile etiam ipsa verba servari, quae in mutato argumento vix aptum locum fuissent inventura. Firmatur haec ratiocinatio eo, quod demtis partibus Charini et Byrrhiae nihil in fabula desideratur, et ea, quae remanet pars, non *ita dissimilis* est integrae fabulae argumento.

---

quae in Andriam convenere, ex Perinthia transtulit Terentius, sed, credo, partem etiam ex Andria.

5) Scilicet in Menandri Andria et Perinthia, non in Andria latina et graeca, ut pueriliter arbitratur Benfeius (in Transl. germ. Terent.) qui eo progressus est, ut indagare conaretur in Terentii fabula XI illos versus et XX.

His rationibus adducor, ut credam prius a Menandro scriptam esse simpliciorem fabulam, Andriam, quam quum iterum vellet poeta in scena committere, ut posset pro nova venditare, alia orationis forma induit paucisque scenis auxit, quibus pro uno amore duos inferret, reliquo non mutato argumento. Atque eae sunt scenae, quas Terentius in Andriam suam transtulit e Perinthia[6]).

Nam Charini personam et Byrrhiae de suo Terentium addidisse, si esset per se verisimile, quod non est, omni destituretur probabilitate alio argumento. Nimirum Luscium scimus, perpetuum Terentii obtrectatorem, graecas fabulas tam diligenter vertisse, ut ne pedem quidem auderet ab iis discedere (Cf. Eun. prol. 7 sqq.) et propterea Terentio vitio vertisse, quod non integras redderet fabulas graecas, sed contaminando corrumperet. Iam vero, quo talem virum animo laturum fuisse credamus tantam licentiam, tantam graecorum exemplarium corruptionem, quantam additis de suo duabus personis Terentius sibi visus esset indulsisse? Nonne id prae ceteris ab eo vituperatum esset damnatumque? nonne tale crimen Terentio in prologis defendendum fuisset? Quod quum non esse factum videamus, illud quoque negandum est, quod dicunt ab ipso Terentio inventas esse personas duas, praesertim quum hoc in Andria, prima quam scripsit fabula, fa-

6) Non iniuria quaerere aliquis possit, cur non totam Perinthiam maluerit Terentius transferre, in qua scilicet cum Andriae argumento eae scenae iam in unum conglutinatae fuerint, quas in sua fabula noluerit desiderari. Explicandum est hoc ex *dissimili oratione*, qua scripta erat Perinthia (cf. And prol. 12), quae minus Terentio quam Andriae oratio credenda est placuisse. Ex hoc consequitur, non ita Terentium graeca transtulisse, ut aliquo modo scenarum argumenta redderet latine, sed etiam orationem suam ad graecam normam conformasse. Probatur hoc comparatis prologis Terentianis ipsisque fabulis, in quibus dissimilis oratio ac stilus non potest non agnosci. Quin etiam Phormio et Hecyra, quae non e Menandro translatae sunt, oratione aliquantum discrepant a ceteris fabulis. Id sensisse videtur Beckerus (de com. Rom. fab. p. 77), quum diversum poetae ingenium in Phormione se invenisse profiteatur.

clum esse perhibeant, quod in reliquis fabulis exercitatior poeta et audacior nunquam sibi indulsit.

Sed omnia haec argumenta, quibus partim Charini et Byrrhiae originem latinam in suspicionem vocare, partim graecam commendare conatus sum, nihil omnino valebunt, nisi prius id fundamentum evertero, quo nisus Grauertus personas illas, de quibus agitur, Terentio vindicavit. Dico scholiastam, cuius ad Andr. II, 1, 1 haec est adnotatio: *Has personas* (sc. Charini et Byrrhiae) *Terentius addidit fabulae, nam non sunt apud Menandrum, ne τραγικώτερον fieret, Philumenam spretam relinquere* (fortasse scribendum *relinqui*) *sine sponso, Pamphilo aliam ducente.*

Haec verba viderentur uno ictu totam ratiocinationem meam infringere, si re vera essent Donati; sed id ipsum videtur esse in dubium vocandum. Vide enim, quam luculentam rationem exhibeat scholiasta, cur poeta latinus Charinum addiderit, *ne τραγικώτερον fieret, Philumenam spretam relinqui.* Ita ne vero? An forte Pamphilus quoque additus est, ne Glycerium spreta relinquatur? Luculenta sane ratio et probabilis. Scilicet timore exagitantur spectatores et anxietate de ea virgine, quae neque amare Pamphilum narratur, nec, absque Charino esset, a quoquam amareretur. Scimus autem nunc, Heautontimorumenon, quae ad hunc diem pro comoedia habebatur, re vera esse tragoediam; exitus certe τραγικώτερός est, quia Panocratae filia spreta relinquitur (He. V. 5, 17 sqq.). Hoc quoque novum nunc disci potest, Romanos tam humano et molli animo fuisse, ut quod Graeci aequo animo spectarent, i. e. sperni virginem, quae semel in fabula nominata erat, id latinus poeta crederet esse mitigandum. Vides quam hoc sit absonum, ne dicam ineptum; sed tamen leve est, praeut alia proferam, quae eiusdem scholiastae debemus doctrinae. Nempe ad Hec. I. 1, 1 dixit: *Animadvertendum est, in hac fabula Terentium bonam meretricem inducturum, ne id contra morem videatur facere, etiam aliam meretricem non malam inducere, ut id exemplo fiat tritius et usu verisimile*(!). Hanc

profecto rationem nemo impugnabit, qui sapiat. Sed aliud idem magistellus narravit ad Andr. prol. 13 de quo breviter disputabo. *Quae apta*, inquit, *et commoda fuerunt in Andriam latinam, non graecam, fatetur transtulisse* (sc. Terentius). *Sed quare se onerat Terentius, cum possit videri de una transtulisse? Sic solvitur. Quia conscius sibi est, primam scenam de Perinthia esse translatam, ubi senex ita cum uxore loquitur, ut apud Terentium cum liberto; at in Andria Menandri solus senex est.* Huic adnotationi opposita est altera ad versum 10 adscripta: *Prima scena Perinthiae paene iisdem verbis, quibus Andria scripta est; cetera dissimilia sunt, exceptis duobus locis, altero ad versus XI, altero ad XX qui in utraque fabula positi sunt.* Quorum scholiorum quum posterius in se nihil habeat, quod suspicionem possit aut dubitationem movere, prius omnia prae se ferre videtur indicia spuriae auctoritatis. Primum enim vide ineptum hominem, qui monendum esse arbitratur, non in graecam Andriam sed in latinam a Terentio ea, quae apta et commoda fuerint, translata esse[7]). Tum quid potest ineptius esse hac interrogatione: *Sed quare se onerat Terentius, quum possit videri de una transtulisse?* Nonne tibi videris magistrum audire, pueris quaestionem proponentem? Ac sane puerilis est, quae sequitur responsio. *Quia conscius* (!) *sibi est Terentius, primam scenam de Perinthia esse translatam.* Haec non hausta sunt ex probis auctoribus, sed ad acuendum ingenium et exercitandam sagacitatem inventa. Nam si re vera grammaticus scivisset, primam scenam de Perinthia esse translatam, non tam futilibus ambagibus usus esset tamque nugatorio disputandi genere. Sed consideremus, quae narrat, diligentius. *In Perinthia narrat senem cum uxore loqui, in Andria solum esse senem.* Ita ne vero? Quomodo autem *prima scena Perinthiae paene iisdem verbis* potuit *scripta esse, quibus*

7) Nisi fortasse iniuriam fecere magistro librarii et pro eo, quod scripsit, *ex graeca*, corruptam nobis scripturam tradiderunt *non graecam*.

Andriae? Expedire hoc conatus est Grauertus (Anall. p. 175) subtili sane artificio, ratus non totam scenam primam a Donato dici paene iisdem verbis scriptam esse in utraque fabula, sed partem eius principalem, i. e. senis narrationem. Credasne tu vero, Donatum, qui tam diligenter XI et XX versus numerat, qui praeter primam scenam fuerint in Andria et Perinthia collocati, fuisse tam incerte dicturum *primam scenam paene iisdem verbis scriptam bis exstare*, si ad triginta eius scenae versus in alterutra fabula non comparuissent? Nam tot fere versus extra senis narrationem in prima scena leguntur. Tum autem, credamusne scholiastam illum sagacem inspexisse Perinthiam, quod tam confidenter dicit de ea Terentium primam scenam sumsisse? Profecto si ille Perinthiam contulisset cum fabula latina, vel tantummodo huius primam scenam perlegisset diligenter, vidisset, opinor, non potuisse in Perinthia senem *ita cum uxore loqui, ut apud Terentium cum liberto*. Nam colloquium usque ad v. 20 nonnisi domini libertique potest esse; cetera autem, quae inter senis narrationem interponit Sosia, perpauca sunt, et ita comparata, ut etsi non abhorreant a mulieris oratione, tamen multo melius in servum conveniant[8]). Accedit, quod nullo modo mater potuit ea filii facta ignorare, quae Simo cum liberto communicat. Quam ob rem ne illud quidem verum arbitror, quod dicit scholiasta in graeca fabula cum uxore senem confabulari, totumque scholium non esse Donati contendo sed eiusdem aut similis nugatoris eius, qui de Charino et Byrrhia Terentio adiudicandis est hariolatus.

Missa iam ratione, qua inductum Terentium autumat scholiasta, ut Charinum et Byrrhiam adderet fabulae, ipsius magistri argumentum, quod est, *nam non sunt apud Menandrum*, in iudicium vocemus. Ex eo autem, quid colligi possit, ut appareat, pauca sunt praemittenda de ratione, qua graecis exemplaribus usi sint interpretes Terentiani.

8) Apparet hoc praeter cetera ex proverbiorum usu frequentiore, servis usitato.

Ritschelius (De Plaut. Didasc. in Mus. Rhen. 1841 p. 77) e Donati verbis (Praef. ad Hecyr. init.) *Haec fabula Apollodori esse dicitur graeca* dubitationem propemodum oriri dicit, an inspexerit graecum exemplar Donatus. Ego autem nihil dubium esse in hac re credo, sed quum e Donati verbis tum ex aliis indiciis colligendum arbitror, graecas fabulas manibus non trivisse eos grammaticos, quorum adnotationes in unum corpus conflatae sub Donati nomine ad nos pervenerunt. Indicant hoc argumentationes, quales exstant ad And. prol. 11 et 13 et tenuis ratio et exilis qua imprimis in scholiis Phormionis graeca fragmenta citata sunt, tum quod interdum complures scholiastae de eodem fragmento varia et interdum contraria disputant ita quidem, ut agnoscas veterem ἀπορίαν, quam pro suis viribus quisque solvere studuerit. (Cf. Donat. ad And. I. 2, 33; III. 2, 3; Hec. III. 4, 26; Eun. IV. 4, 22).

Hauserunt igitur, quae de Terentii exemplaribus graecis scholiastae narrant e vetere quodam commentario. Sed qui eum commentarium scripsit, ne ipse quidem iudicandus est in *contaminatis* Terentii fabulis praeter principale exemplum eam quoque contulisse fabulam, ex qua pauca tantum Terentius adsciverit. Haec negligentia in vetere grammatico per se mihi videtur quam contraria, quae iam flagitatur, diligentia verisimilior; tum autem probatur eo, quod tantum e Menandri Andria et Eunucho et Adelphis, principalibus latinarum fabularum cognominum exemplis, non item e Perinthia, Colace, Synapothnescusi fragmenta nobis a Donato servata sunt[9]).

Quae cum ita sint, rectissime Clericus, Bentleius, Meine-

9) Non dissimulandum est, Perinthiam simul cum Andria inspexisse eum, a quo profectum est scholium Andr. prol. 10. Sed hoc uno exemplo, nam scholium ad v. 13 non respicio, non credo irritum reddi, quod dixi. Nam profecto ille grammaticus, qui Andriam graecam cum latina comparavit, si Perinthiam quoque ad manus habuisset, toties oblata eius comparandae occasione, non in hac una re sese continuisset; quare illud scholium profectum esse aliunde mihi persuasum est.

kius, Iacobsius, Grauertus, ea fragmenta, quae ad Andriam Donatus solo Menandri nomine affert, non dubitarunt ad eius Andriam referre (cf. Grauert. Anall. p. 186). Atque eadem ratione scholiastae verba *nam non sunt apud Menandrum* nihil aliud possunt significare, nisi, non in *Andria* Menandri fuisse Charinum et Byrrhiam, ex qua re festinantius conclusit alter scholiasta, omnino non esse apud Menandrum et propterea ab ipso Terentio esse inventos.

In eo autem errasse grammaticum et si non Andriae Menandri, certe Perinthiae Terentium personas illas debere, quum ex iis, quae supra dixi, probabile esse credam, corroborabo hisce argumentis. Coniecerat iam Wyttenbachius, in quo assentientem habet Meinekium (Frgt. Philem. et Menandr. p. 22), versum Andr. II. 5, 16:

Omnes sibi esse melius malle quam alteri [10])

quem Byrrhia pronunciat, ex Menandro esse petitum, quoniam verisimile esset Menandrum, assiduum Euripidis imitatorem, talem sententiam ex Medeae v. 86:

ὡς πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ

transtulisse. Hanc coniecturam Grauertus (Anall. p. 195) facile refutatam putat, quia Byrrhiae persona non sit Menandrea sed Terentii propria. Nos autem, qui hoc non concedimus, Wyttenbachii coniecturam ut satis probabilem arripimus. Idem valet de alio versu a Charino recitato II. 1, 16:

Ingeram mala multa? atqui [11]) *aliquis dicat, nil promoveris:*

---

10) Coniecit Bentleius *Omnes sibi esse bene mavelle quam alteri* dicens discipulorum causa *malle* dedisse magistros olim pro *mavelle*; quasi non magis pueri in duplici comparativo, in quo vel Bentleius offendit, fuissent haesituri. Sed talis ubertas non abhorret a sermone familiari, quo *potius malo* coniungitur et *magis malo*, omninoque non raro *malle* pro *impense velle* ponitur (Ad. II. 2, 14; Plaut. Stich. I. 2, 13).

11) Vulgo *atque* legitur.

Multum [12]*; molestus certe ei fuero atque animo morem gessero,*

quam sententiam Meinekius putat a Menandro antea expressam fuisse e simili Euripidea (Hippol. 1297):

καίτοι προκόψω γ'οὐδὲν, ἀλγυνῶ δέ σε.

Tertium autem argumentum haud invalidum in eo positum est, quod ad scenam II. 2 referendum est fragmentum graecum e Perinthia servatum ab Athenaeo (VII. 301, b), quo fragmento quum evincatur e Perinthia scenam illam esse translatam, non temere, opinor, concludimus, etiam Charini partes, quae sunt in eadem scena, ex eadem fabula graeca esse transpositas.

De Eunucho.

Quum perpauca fragmenta ex Menandri Eunucho et Colace, Terentianae Eunuchi exemplis, nobis servata sint, difficile est iudicare de ratione, qua ex duabus graecis Terentius suam fabulam conflaverit, praesertim quum is nunquam videatur tam artificiose quam in hac fabula contaminasse. Luculentum quidem et grave testimonium habemus ipsius Terentii, qui (Eun. prol. 30 sqq.) militis personam et parasiti de Colace esse desumtas fatetur; sed quaeritur, num tam accurate Terentius locutus sit, ut ad verbum possimus, quae dixerit, accipere, scilicet duas personas istas e Colace esse translatas, neque quicquam praeter eas aliud, eas autem integras. Quod si eam inesse vim verbis Terentianis arbitraris, minus profecto arduum paene videatur novas scribere, quam contaminare.

12) Bentleius de arbitratu suo pro *Multum* dedit *Nil*, quod non placet.

Vides enim utriusque comoediae graecae personas in non paucis scenis ita coniunctas esse, ut e neutra fabularum Menandrearum eae scenae fluere videantur potuisse. Ita in scena II. 2 Gnatho parasitus est et Parmeno servus, scena III. 1 Thraso miles cum Gnathone et Parmenone, scena III. 2. Thraso, Gnatho, Thais meretrix, Parmeno, Pythias. Ex Eunucho porro translata est persona Chremetis, quem videmus arctissime cum Colacis personis in latina fabula esse coniunctum, quippe qui in coena accumbat cum Thaide militeque et causa sit exorti inter eos iurgii (IV. 1). Idem scena IV. 7 contra Thrasonem eiusque exercitum defendit domum meretricis. Denique in postrema scena partes sunt Chaereae, Parmenonis, Phaedriae, qui omnes pertinent ad Eunuchum et Thrasonis cum parasito. Hinc statim intelligitur magnam harum scenarum partem non potuisse immutatam ex Colace desumi; eius enim fabulae personae, Thraso et Gnatho ab Eunuchi argumento erant alienae, ex quo necessario consequitur, Terentii verba (prol. 30 sqq.) quibus parasitum et militem de Colace se mutuatum dicit, non ad amussim esse exigenda ita, ut *integras* eas personas inde dicamus migrasse. At ne *solae* quidem illae ex Colace sunt adscitae, quamquam nullam aliam Terentius nominavit. Certe Sanga, qui est in militis exercitu (IV. 7), profecto cum tota scena, in qua est, e Colace accessit. Quare iure nostro suspicari possumus, eadem negligentia Terentium alias personas praeteriisse, quas e Colace transtulerit, satisfactum esse spectatoribus ratum, si duas nominasset personas principales. Sed ut assumere e Colace plura atque adeo ut milite et parasito posset in Eunucho sua uti, necesse est similitudinem intercessisse inter Colacem et Eunuchum Menandri non mediocrem. Probatur hoc certis indiciis. Nam primum, si numerum tantum graecarum comoediarum ingentem perpenderis et reputaveris simul, intra certos certarum personarum actionumque fines [13]) artem comicam versari, fieri non

13) Omnes fere personas nominat Terentius Eun. prol. 35.

potuisse videbis, quin multa non raro repeterentur, ita ut optime valeat de comoedia Terentianum illud (Eun. prol. 41) *Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius.* Sed etiam certa habemus, quibus hoc confirmatur testimonia. Huc referendum est, quod eiusdem tituli fabulas complures poetae scripserunt, ut *Epidicazomenon* Apollodorus, Diphilus, Anaxippus, Philemo; *Syntrophos* Posidippus et Damoxenus; *Phasma* Philemo, Menander, Theognetus; *Synephebos* Menander, Euphro, Philemo; *Thesaurum* Philemo, Menander, Diphilus, Dioxippus; *Adelphos* Euphro, Hegesippus, Philemo, Diphilus, Apollodorus, Menander. Scimus praeterea in Menandri Δεισιδαίμονα ab initio ad finem usque transscriptam esse Antiphanis Οἰωνιστήν (cf. quae Euseb. Praep. Evang. X. 2 ex Caecilio tradit et Meinek. hist. crit. com. p. 32). Quin etiam se ipsos exscribere non dubitabant graeci poetae, cuius rei testimonium est luculentissimum Menandri Andria et Perinthia. Quare non temere me disputare suspicor, si maiorem intercessisse inter Colacem et Eunuchum similitudinem contendo, quam concedat fortasse Grauertus. Is enim videtur sic iudicasse, si quam ex Colace personam Terentius assumpserit, necesse videri, talem personam in Eunucho non exstitisse. Ita quum constet in Menandri Eunucho rivalem fuisse Phaedriae adulescentis, vix dubitan-

---

Quod si personis isdem huic uti non licet,
Qui magis licet, currentem servom scribere,
Bonas matronas facere, meretrices malas,
Parasitum edacem, gloriosum mititem,
Puerum supponi, falli per servom senem,
Amare, odisse, suspicari?

In primo versu pro eo, quod est in Bembino *huic uti* vulgo legitur *uti aliis.* Prius praefero, quod *personae eaedem* sunt miles et parasitus ex Colace translati in Eunuchum. Bentleius, credo, generaliter dictum esse accepit *iisdem personis uti aliis licet, quibus alii usi erant,* quae vis non inest verbis Terentianis. — In secundo versu *currentem servom* scripsit ex Bembino Faernus. Bentleius numerum pluralem posuit, quia sequatur *matronas, meretrices;* sequitur autem, quod noluit videre Bentleius, etiam singularis v. 28 *parasitum edacem.*

dum videtur Grauerto, quin is rivalis non fuerit ut apud Terentium miles gloriosus, sed alius quidam iuvenis; parasitum autem etiam in Eunucho fuisse Menandri, ne cogitare quidem audet. At ego ambas personas in Eunucho exstitisse contendo, licet non tanta arte et tam dedita opera fuerint depictae quam Terentianae e Colace translatae, de qua fabula Athenaeus (VI. p. 258) *κεχαρακτήρικε δὲ*, inquit, *ὡς ἔνι μάλιστα ἐπιμελῶς τὸν κόλακα Μένανδρος ἐν τῷ ὁμωνύμῳ δράματι*. Nam quantum equidem scio, nunquam in comoedia infelix rivalis nisi miles inducebatur; Eunuchum autem et militem non semel in eadem fabula coniunctos esse testimonio est Diphili comoedia cui titulus *Εὐνοῦχος ἢ Στρατιώτης* (cf. Mein. hist. crit. com. p. 451). Item servum quoque in Colace fuisse oportet eius personae, quae militis rivalis inducebatur (i. e. Phaedriae) atque eius servi verba esse suspicor, translata ea ex Colace, non Eunucho, quae II. 2 inter Gnathonis orationem interposita leguntur, item ut quae III. 1 servus loquitur. Nam nisi in Colacis scena, ex qua sumpta est scena III. 1, servus fuisset, cur eum, in eo loco (sc. III. 1) minime necessarium, Terentius ex Eunucho asciscceret, praesertim quum contaminatione coactus esset, ut studeret brevitati [14])? De scena III. 2 difficilius est iudicium. Nam quae ibi de eunucho dicuntur (v. 19 sqq.) non possunt non ex cognomine fabula esse descripta. At in eadem scena verba sunt Thrasonis Gnathonisque; quare aut statuendum, non Colacis sed Eunuchi esse hunc

14) De initio fabulae in brevius contracto cf. C. O. Muellerum Hist. Litt. gr. II. 276. Ad Eunuchum V. 6, 30 Donati legitur adnotatio *Manifestius hoc Menander explicat, iam pridem infestum meretrici senem post corruptum ab ea Phaedriam, nunc demum se inventa occasione vindicaturum.* Hinc apparet Terentii studium brevitatis. Ceterum Grauertus (Anall. p. 159) quod ait apud Menandrum ipsum senem dicere, iam pridem se infestum esse meretrici, non illud de sene narrare Parmenonem, quoniam *se vindicaturum* dixerit Donatus, non *eum vindicaturum*, falsum est; nam *se* accusativus est obiecti, *infestum senem* subiecti, nec potuit sine *se* dicere Donatus *eum vindicaturum*.

militem et parasitum, quod in se nihil habet, cur sit improbandum; aut segregandae sunt tres in hac scena partes, ita ut versus a primo ad septimum et a primo et quadragesimo usque ad finem dicamus esse e Colace translatos [15]) atque quod medium est vindicemus Eunucho, modo quae apud Terentium Thrasonis verba sunt, dentur parasito [16]). Sed sine certis testimoniis nihil pro certo possumus de hac scena affirmare. Utcunque se autem res habet, parasitum in Menandri Eunucho fuisse, nulli dubitationi videtur esse obnoxium. Quod si statuimus, removetur alia difficultas. Scena III. 1, 44 sqq. Thrasoni suadet parasitus, ut, si meretrix Phaedriae faciat mentionem, ipse Pamphilam accersi iubeat. Hoc quia inter se transigunt miles et parasitus videbatur Grauerto e Colace esse arcessitum. Verum postea quum ex parasiti praeceptis agat Thraso, oritur iurgium inter ipsum Thaidemque et Chremetem (IV. 1), quod iurgium totum pertinet ad oeconomiam Eunuchi. Hoc non potest aliter explicari, nisi ita, ut consilium illud parasiti de arcessenda Pamphila non de Colace, sed de Eunucho Menandri transscriptum esse statuamus. Quod si probaveris, priorem scenae III. 1 partem usque ad versum 43 Colaci vindicabis, Eunucho posteriorem, ad finem a versu 44, a quo aptissime novum colloquium incipit.

Alia difficultas posita est in scena IV. 7. Quae quum propter militis facinora ibi exhibita necessario pertineat ad Colacem, verba continet Chremetis, quae persona Eunuchi est propria. Hoc ita solvitur, ut dicamus, Chremetem quidem no-

---

15) Sustentatur haec sententia, si recte Wyttenbachius fragmentum Colacis (apud Plutarch. de Adulat. et Am. p. 57. a) *γέλωτι πρὸς τὸν Κύπριον ἐκθανούμενος* comparavit cum parasiti verbis (Eun. III. 2, 44), quibus risus causam quaerenti Thrasoni respondet: *Istud quod dixti modo et illud de Rhodio dictum quum in mentem venit*, ut Menandri Cyprio Terentius Rhodium substituerit.

16) Paucis mutatis versus 7 ad 44 distribui possunt inter servum, meretricem et parasitum; nempe eiiciendum est *vix* e versu 19 et *huic* e versu 37.

minari apud Terentium eum qui Thaidem contra militem defendat, sed re vera eam esse personam, quae rivalis partes in Colace sustinuerit. Atque omnino alium esse Chremetem in scena IV. 7. alium in IV. 6, facile tibi persuadebis, si scenas illas attente perlegeris; nam timidus antea et paullo stupidior Chremes subito in scena IV. 7 strenuus factus est et animosus, quae mutatio, quum in repentino periculo excusationem habeat, originem, opinor, habuit in eo, quod non eadem est Chremetis persona in utraque scena.

In ultima scena duae facile partes agnoscuntur, quarum prior (usque ad v. 23) ex Eunucho derivata est, ex Colace posterior. Quod autem in hac altera Phaedria loquitur, est is idem ille militis rivalis, qui in scena IV. 7 sub Chremetis nomine de Colace erat traductus. Quae cum ita sint, non militis tantum et parasiti personae ex Colace transpositi sunt in latinam Eunuchum, sed et partes quaedam meretricis (Thaidis), iuvenis amantis (Phaedriae), eius servi (Parmenonis), quod profecto non parvam inter Colacem et Eunuchum intercessisse ostendit similitudinem.

Sed non omnia ea, quae in Menandri Eunucho non invenit Terentius, potuit ex eius Colace assumere; fertur de suo partes quasdam addidisse. Nimirum scholiasta ad III. 4, 1: *Bene*, inquit, *inventa persona est* (scilicet Antiphonis) *cui narret Chaerea*, *ne unus diu loquatur*. Hoc ita dictum est ut nihil rectius; sed quod additum est: *ut apud Menandrum* totum corrumpit. Ex hoc, siquidem sincerum esset, non necessario quidem consequeretur, quod voluit Grauertus, scenam III. 4 a Terentio esse inventam; potuit enim facile Terentius talem scenam aliunde mutuatus esse; sed tanta pars eius, quae sequitur scenae Terentio tribuenda esset, quantam mea sententia nunquam dedit de suo. Vides enim omnia ea, quae ad narrandam rem ante actam, ignotam Antiphoni, spectatoribus notissimam pertinent et praeterea versus a 5 ad 8 non potuisse locum habere in Eunucho Menandri, si ibi solus in scenam Chaerea prodierit. Essent igitur Terentii proprii ver-

sus 25, quod priusquam credamus, examinare placet quibus nitatur fundamentis scholiastae testimonium. Is autem, ubicunque de compositione fabularum Terentianarum disserit, ita loquitur, ac si ipsi Terentio, non graecis exemplaribus singula quaeque debeantur. Sed qui ea re in errorem induceretur, ut illis in locis a graecis poetis recessisse Terentium crederet, non luculentum ederet iudicii specimen, quamvis cautus videretur esse prae Schroedero, qui quos versus Cicero aliique veterum scriptorum Terentii nomine afferunt, eos non ex graecis exemplis expressos suspicatur. Hinc igitur iudicandum est de Donati verbis qualia sunt ad Hecyram III. 1, 47: *Vide artificem Terentium, quemadmodum alias per Pamphilum, alias per ipsum Parmenonem invenit, quemadmodum nesciatur a caeteris, virginem ante nuptias ab ipso Pamphilo vitiatam esse.* Simile est Adelph. IV. 2, 2 *Sapientissime Terentius, etsi proxima villa est, necessario senem ad reliquos actus fabulae noluit ab urbe discedere, personae senilis memor; nam et arduum fuerat, dum redit et cruciabile, ne fatigatio eius in tragoediam transiret*[17]). *Recte igitur invenit, a mercenario illi in urbe narratum, ruri non esse Ctesiphonem. At ubi persona est adulescentis, et proficiscitur ad villam et continuo redit, ut in Eunucho Phaedria.* Nonne haec ita prolata sunt, ut facile credas apud Menandrum ad villam transisse senem, idque mutatum esse a Terentio? Et tamen nihil certius est, quam Terentium in ea ipsa re, propter quam collaudatur a grammatico, graeci exempli vestigia pressisse. Nullo enim modo fieri potuit, ut Demea urbem relinqueret. Qui comperto Aeschini facinore (III. 4) non potuit rus remigrare, ut bono suo filio se quiete delectaret, sed pro iracundia sua ac nimia vehementia nihil antiquius habuit, quam ut omnem

17) Hinc corrigendum est scholium ad Phorm. prolog. 5: *Reve autem hoc deterior Menandro Terentius iudicabatur, quod minus sub oratione uteretur, quod ipsum nunc purgat dicens in tragoedia tiora transire posse.* Scribendum *in tragoediam.*

aegritudinem suam in Micionem evomeret, id quod III. 4, 65 se facturum profitetur. Itaque ne instituit quidem rus redire, sed fortuito fratrem quaerens *mercenarium a villa* offendit (cf. IV. 2, 1). Haec omnia tam arcte sunt inter sese coniuncta et in Demeae mores ita conveniunt, ut nequeant aliter in graeca fabula scripta esse. Porro ad Eun. V. 8, 4 (ed. Bentl. apud West. V. 9, 4) Donatus *Inventa*, inquit, *persona est*, (scilicet Parmenonis), *ad quam gesta haec narret Chaerea*, quibus verbis Grauertus (Anall. p. 172) inductus est, ut suspicaretur, apud Menandrum fortasse solum Chaeream esse locutum, quod non opus est refutare. Ita Terentio adscripsit, quod graeco poetae erat vindicandum, Donatus ad Hecyram I. 1, 1 dicens *Hae personae Terentii more extrinsecus assumuntur, ut sic argumenti obscuritatem spectator effugiat.* (Cf. etiam alterum scholiast. ad eundem versum.) Similiter Hecyra III. 5, 3: *Ut solet* (Terentius) *primo personas inducit secum loquentes, deinde ipsas convenire invicem.* Hec. V. 1, 29: *Vigilanter poeta ne non verisimile videretur, id nullam fecisse meretricem, ipse lectorem praevenit, et sic fere in omnibus Terentius, quae minus pervulgata sunt quaeque abhorrent a consuetudine, agit.* Ex his apparet, Donatum loqui non sat distincte et accurate, et quae graeco poetae debentur, negligenter Terentio adscribere. Quare quum dicat *Bene inventa persona, cui narret Chaerea, ne unus diu loquatur*, non cogimur ut apud Menandrum personam illam non exstitisse credamus. At, inquis, additum est *ut apud Menandrum*[18]). Quid autem, si hoc additamentum est hominis scioli, qui Donati verba *Bene inventa persona* ad Terentium referens, nihil magis crediderit esse consentaneum, quam quod latinus poeta invenerit, eo caruisse graecum? Atque ita se rem habere ex complurium scholiorum comparatione verisimile fit. Sunt enim non pauca scholia initio quidem proba et bonae notae, addito

18) Benfeius (Transl. germ. pag. 537) falsissime haec ita iungit: *Bene inventa persona ut apud Menandrum, ne unus diu loquatur.*

autem futili interpretamento inquinata. Id factum est Eun. IV. 4, 14, ubi Pythias verum eunuchum cum Chaerea comparans dicit: *Ille erat honesta facie et liberali.* Donatus adscripsit: *Τῷ ἰδιωτισμῷ erat, quasi de mortuo, aut qui non est, scilicet Thaidi, quia fugit.* Sed hoc scholium non totum est a Donato profectum. Immo ab inepto magistello addita sunt verba *scilicet Thaidi, quia fugit*, pro quibus si sapuisset homo, interpretandi causa scribendum esse vidisset: *scilicet honesta facie.*

Aliud eius rei exemplum sat luculentum est Eun. V. 5, 26, ubi Parmeno Chaereae adulescenti timens, et secum deliberans, sitne cum patre filii periculum communicandum necne, *dicam huic*, inquit, *an non?* ad quae Donatus: *Hoc non esset verisimile, nisi dubitasset;* rectissime; nam dubitatio, ubi de salute agitur, convenit Parmenoni (cf. v. 27 et ibi Donat.). Sed hoc ineptissimus turbavit alter grammaticus addens: *Quod enim ad Chaeream pertinet, dubitat*, ratus scilicet, dubitare Parmenonem de veritate eorum, quae a Pythia audiverat, quum ex Parmenonis verbis nihil clarius appareat, quam Pythiae eum fidem adiungere, incertum autem esse, utrum taceat, an patri renunciet filii periculum.

Sed haec leviora sunt peccata; afferam gravius. Hecyr. V. 3 Bacchis meretrix narrat, ut a Pamphilo annulum acceperit, vitiatae ab eo virgini detractum, per quem iam cognitum sit, Philumenam, Pamphili uxorem, eandem illam esse virginem et peperisse eam ex Pamphilo. Dicit autem Bacchis v. 24:

Nam memini, abhinc menses decem fere ad me nocte prima
Confugere anhelantem domum, sine comite, vini plenum
Cum hoc annulo: extimui ilico: mi Pamphile inquam, amabo,
Quid exanimatu's obsecro, aut unde annulum illum nactu's?

Ad quorum versuum postremum adscriptum legimus hoc scholium *Brevitati consulit Terentius, nam in graeca haec aguntur, non narrantur.* Quid? hocine credibile? Ea, quae ante decem

menses et in domo meretricis facta sunt, aguntur in graeca fabula, non narrantur! Tam hoc ineptum est, ut verbis in eo refellendo parcere liceat. Nam quod primo aspectu suspicari aliquis possit, ex contaminatione hoc explicandum esse, ita ut narrationem Bacchidis ex alia graeca fabula esse arcessitam statuamus, ubi eadem gesta sint, hoc oeconomia fabulae docet fieri nullo modo potuisse. Nec potest hoc scholiasta significare voluisse. Nam in eo, quod omisit Terentius, quod non suum exemplum, sed alia fabula praebebat, nullum conspicitur, mea quidem sententia, studium brevitatis. Itaque lapsus est magister cum vellet breviorem paullo et obscuriorem Donati adnotationem explicando supplere. A Donato enim scriptam esse censeo priorem adnotationis partem, *brevitati consulit Terentius:* alterum magistrum, memorem eorum locorum, in quibus brevitatis causa post scenam retulisse fertur Terentius, quod potuit in scena repraesentare, ratumque idem hic valere, adscripsisse [19]) *nam in graeca haec aguntur non narrantur.* Sed in eo quantum a vero aberraverit, non difficile est ad perspiciendum. Etenim Donatus nihil aliud monere voluit, quam brevitatis studiosum poetam non moratum esse in iis, quae minus necessaria fuissent; sed statim fecisse meretricem interrogantem, unde annulum Pamphilus nactus esset, quippe qua re summa totius continetur, non, ubi fuisset, unde veniret, quid egisset et talia plura [20]). Haec exempla sufficiunt, credo, ad defendendum et

19) Non segniores fuerunt latini scholiastae quam graeci in excogitandis iis, quae ex ipsis scriptorum verbis hausta ad eadem explicanda apposuerunt ornata specie veritatis. Ita Phormionis prol. 9, ubi *olim stetisse* Luscii fabulas actoris opera magis quam ipsius Terentius dicit, Donatus *Recte*, inquit, *olim, quasi dicat, quum adhuc Terentius non scriberet, penuria meliorum est probata.* Item multa temere excogitasse scholiastam ex Don. ad Phorm. p. 9 perspicere licet.

20) Cf. Phorm. I. 2, 85 *Factum est, ventum est, vincimur*, ubi Donatus: *In his brevis et comis narratio est.* Idem ad Phorm. I. 4, 37 *Vi coactum te esse invitum* dicit *Mira brevitas, in qua tota defensio continetur* et ad Eunuch V. 3, 6 *PY. Cognoscitne? CHR. Ac memoriter.*

sustentandum iudicium meum de scholio ad Eun. III. 4, 1, cuius posteriorem partem non credo una esse cum priore a Donato profectam. Nullam enim causam video, cur, si apud Menandrum solus fuisset Chaerea (in scena III. 5), in hac potissimum fabula, in qua tantopere brevitati studendum erat (cf. supra adnot. 14) monologum Terentius esset aspernatus, quod alibi eum non fecisse videmus, ut in Hecyra III. 3, ubi Pamphilus, quatuor et quinquaginta versibus soli sibi et spectatoribus ea narrat, quae post scenam facta sunt. Accedit autem ad augendam de scholii integritate dubitationem meam, quod, ut iam supra significavi, plura Terentio tribuit scholiasta, quam credam unquam ab eo esse addita. Quodsi quis mihi hos scrupulos exemerit, assentientem me habebit in eo, quod consensu omnium hodie pro certo habetur, Antiphonis personam inventam esse a poeta latino.

De Adelphis.

Summam Adelphorum nulla dubitatio potest esse, unde Terentius transtulerit. Nempe e Menandri cognomine fabula Grauertus (Anall. p. 124 sqq.) paucis exceptis scenis totam comoediam latinam derivavit tam diligenter, ut pauca tantum videantur corrigenda aut addenda. Sed de his priusquam dicam, constituendi sunt fines eius loci, quem non ex Menandri Adelphis, sed ex Diphili Synapothnescusi Terentius se mutuatum esse fatetur his verbis (prol. 6 sqq.):

adscripsit *Responsionis brevitas attulit compendium perquirenti, ne plus interrogaret.* Cf. etiam ad Pherm. I, 2, 13; Eun. V. 9, 32.

Synapothnescontes Diphili comoedia est,
Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.
In Graeca adulescens est, qui lenoni eripit
Meretricem in prima fabula; eum Plautus locum
Reliquit integrum; eum hic locum sumpsit sibi
In Adelphos, verbum de verbo expressum extulit.

Ac Grauertus quidem et C. F. Hermannus (Disp. de Adelph. in Indice lectt. Acad. Marb. 1838) ab hoc tanquam certo et firmo fundamento proficiscuntur, Sannionis personam apud Menandrum non comparuisse, e quo necessario consequatur, eas scenas (II. 1 et II. 2), in quibus verba sint lenonis, esse e Diphilo petitas. Hoc adeo de scena II. 4, in qua pauca tantum interposita sunt lenonis verba, valere Lessingius ita sibi persuaserat, ut in Donati adnotatione ad eius scenae v. 10, qua Terentius a Menandro recessisse narratur, pro Menandri reponendum esse Diphili nomen censeret. Quo commento repudiato Grauertus vidit, scenas II. 3 et II. 4 tam arcte cum Adelphorum argumento coniunctas esse, ut eas e cognomine Menandri fabula petitas esse oporteat. Itaque priores duas actus secundi scenas Diphilo, reliquas duas Menandro vindicavit, ita tamen ut interiecta in scena II. 4. lenonis verba a Terentio addita esse statueret. Raptionem psaltriae, quae in latina comoedia *agatur*, in Menandrea tantummodo *narratam* esse demonstravit, reprobata Meinekii sententia, qui etiam apud Menandrum puellae raptionem in scena exhibitam fuisse censebat, maluisse autem Terentium ex Diphilo hanc scenam transponere *ne uni omnia Menandro debere videretur!* In eo igitur assentiendum Grauerto, quod scenas II. 3 et II. 4 Menandro vindicavit; sed quod lenonis partes omnino in Menandri Adelphis fuisse negat, nescio, quo id nisus dicat argumento. Nam Terentii verbis (prol. 6 sqq.) nihil aliud declaratur nisi eum locum, in quo lenoni meretricem eripiat adulescens, e Diphilo esse petitum, non eas item scenas, in quibus psaltria constituto pretio redimatur. Quod autem Grauertus (Anall. p. 134) dicit scenam II. 2, in qua Syrus Sannionem ad acci-

piendas pro puella viginti minas adigit, propterea videri ex Diphilo profectam, quoniam vim facere lenoni iure Attico non licuerit, id nihil aliud probat, nisi in Synapothnescusi aliquo modo lenonem placatum esse. Sed quum ex eadem ratione consequatur, etiam apud Menandrum placandum lenonem fuisse, Grauerti argumentum nihil omnino probat; non enim apparet, cur eam virginis redemptionem Terentius e Diphilo sumpserit potius quam e Menandro.

Tam debili ratiocinatione Grauertus suam opinionem stabilivit. Vide, num firmius sit, quod ego proponam, *e Diphilo esse translatos versus II. 1; 1—42, cetera omnia e Menandro.* Is enim locus est, in quo *lenoni adulescens eripit meretricem*, quem locum Terentius in Adelphos transtulit. Nam quae leno a versu 42 secum loquitur, ita comparata sunt, ut etiam sine praecedente rixa optime intelligantur, item ut Ctesiphonis verba in scena II. 3 et fratrum colloquium II. 4. Confirmat hoc Donatus citato ad II. 1, 45 fragmento Menandri *Αιγοστη ποιων τοιγοσρπα το γρωνον οἰκετην λαβων*, quod quamvis sit corruptissimum, tamen hoc demonstrat, Sannionis verba, quibus se vapulasse queritur, e Menandro esse expressa. Quod quum facile fieri potuerit, nihil est causae, cur ipsi nobis difficultates exhibeamus et negantes Sannionem in Menandri Adelphis fuisse, fragmentum illud cum Grauerto ad alius (scil. Demeae) personae narrationem, aut quod peius est, ad prologum, qui nunquam fuit, cum C. F. Hermanno referamus. Accedit aliud nostrae sententiae argumentum, petitum ex similitudine, quae inter versum Terentianum et Menandreum intercedit. Legitur enim in Menandri Gnom. Mon. *οἴμοι· τὸ γὰρ ἄφνω δυστυχεῖν μανίαν ποιεῖ*, quod lenoni videtur tribuendum et a Terentio latine redditum II. 1, 43 ita: *Minime miror, qui insanire occipiunt ex iniuria.*

Coercitis iam finibus eorum, quae e Diphilo hausta sunt, transitum faciamus ad reliquam fabulae partem, quae derivata est e Menandro. Atque in universum quidem bene et diligenter de hac re disputasse Grauertum supra dictum est;

quare nobis nihil est aliud relictum, nisi ut, quibus in locis ab eius sententia discedendum videatur, declaremus. Est autem statim ab initio minus nobis persuasum quod de primo fragmento dicit, Ὦ μακάριον με; γυναῖκα οὐ λαμβάνω, allatum a Donato ad verba Micionis I. 1, 18 *Et quod fortunatum isti putant, Uxorem nunquam habui.* Primum enim emendatio Grauerti, qua trimetrum supplevit ὦ μακάριόν μ' ἐπεὶ γυναῖχ' οὐ λαμβάνω non magis placet quam Bentleii μ' ὅτιή, Clerici μ' ὅσπερ, Meinekii μ' ὅστις, adeo ut vix audeam novam addere emendationem, quamvis ea a litterarum similitudine commendetur, ὦ μακάριόν μ', ἐγὼ γυναῖχ' οὐ λαμβάνω. Tum autem dubium mihi videtur, an sint haec ea verba graeca, ex quibus translata sint latina I. 1, 18. Nam Donatus quidem Terentianae sententiae, quae sit Romanis probata, opponit Menandream (i. e. Graecorum), non autem addit, ex qua Menandri fabula desumpta sint verba, quae ego propter exclamationem ὦ μακάριόν με minus convenientia duco Micionis quietae placidaeque orationi.

Non certius est, quod Grauertus (p. 137) dicit de fragmento a Stobaeo (Flor. LXXXIII. 5) servato Τίῳ· προθύμως τἀξιούμενον ποιῶν Κηδεμόν' ἀληθῶς, οὐκ ἔφεδρον ἕξεις βίου, quod secutus Meinekium refert ad Micionis verba I. 1, 47:

Ille quem beneficio adiungas, ex animo facit,
Studet par referre, praesens absensque idem erit.
Hoc patrium est, potius consuefacere filium,
Sua sponte recte facere, quam alieno metu.

Quis autem est qui non videat, haec prorsus dissimilia esse? Communis quidem est graecis verbis latinisque haec sententia, *morem gerendum esse filiis*, sed ea quam diversissima ratione est expressa; nam neque apud Terentium de eo, qui ἀληθῶς κηδεμών est aut ἔφεδρος βίου quicquam legitur, neque Menander locutus est de pari referendo, neque de eodem praesentis absentisque animo neque de patris officio, quod in eo positum sit, ut consuefaciat filium, sua sponte potius recte facere, quam metu alieno. Redit igitur tota similitudo eo, ut

Ille quem beneficio adiungas expressum sit ad graeca *υἱῷ προθύμως τἀξιούμενον ποιῶν*, quam ego similitudinem non magnam dixerim. Verisimilius est, graeca verba, si sunt ex Adelphis Menandri descripta, quod Stobaeus non addidit, a Terentio non esse translata, pronunciata autem esse a Menandreo Micione postquam ita fratrem obiurgaverit I. 2, 27:

. Et illum tu tuum, si esses homo [21]*),*
Sineres nunc facere, dum per aetatem licet,
Potius quam ubi te exspectatum eiecisset foras,
Alieniore aetate post faceret tamen.

In simili errore versatur Grauertus (p. 138) quod fragmentum a Stobaea (Flor. XLIV. 3), e Menandri Adelphis allatum

Οὐ παντελῶς δεῖ τοῖς πονηροῖς ἐπιτρέπειν,
Ἀλλ' ἀντιτάττεσθ', εἰ δὲ μή, τἄγω κἀτω
Ἡμῶν ὁ βίος λήσει μεταστραφεὶς ὅλος.

cum Meinekio rettulit ad Terentii scenam I. 2, quamquam ibi nullum iis verbis aptum locum invenire potuit [22]). Neque id mirum, quum sine dubio collocanda sint in scena III. 4. aut post v. 8. aut post 54 [23]); sunt enim verba Hegionis, qui iniuriam, a pravis hominibus (*πονηροῖς*) illatam omni modo vindicandam censet. Omisit Terentius ut saepe, quia generalem sententiam, non omnino necessariam continebant.

Prorsus incertus est Grauertus (p. 138), quo fragmentum

---

21) Illud *homo* ansam praebet explicandae eidem voci v. 31, ubi Demea exclamat furibundus *Tu homo adigis me ad insaniam.* Scholiasta dicit, *negare ea voce Demeam fratri familiaritatem.* Tu autem, si sapis comicos sales, videbis cum acerba dictum esse ironia, quae conveniat furenti pro: *Tu cum ista humanitate tua.*

22) Meinekius in secunda editione (Fragm. Comic. gr. tom. IV. p. 70) in scribendo, credo, lapsus dicit ex scena I. 1 fragmentum esse petitum.

23) Ex hoc consequitur, quod Grauertus suspicatur quidem (p. 140) sed nullo testimonio potuit stabilire, scenam III. 4 et quae cum ea arctissime coniuncta est III. 3 ex Menandri Adelphis fluxisse.

referendum censeat a Stobaeo (Flor. VIII. 8) allatum *Τί πολλὰ τηρεῖν πυλλὰ δεῖ δεδοικότα*; quod Meinekius autumavit (Frg. Com. gr. IV. 71) *non abhorrere a Micionis ingenio*. At mihi videtur abhorrere quam plurimum, convenire autem in personam Getae, qui III. 2, 52 victus herae argumentis dicit *Quid istic*, et optime addere potuit *τί πολλὰ τηρεῖν πολλὰ δεῖ δεδοικότα*. Omisit iterum Terentius sententiam generalem.

Scenam IV. 5 Grauertus propter oeconomiam fabulae non potuisse a graeca Menandri abesse recte vidit. Firmatur hoc testimonio scholiastae, qui in codice Bembino ad IV. 5, 59 adscripsit *Menandri u . . . . . sus est in illo loco que . . . . . γυμνάτερον . . . . . τταλον abet h . . . .*[24])

Nihil dixit Grauertus de scenis V. 5, V. 6, V. 7. Quas ego ex Menandro repetendas censeo, quia quae Demea V. 4 secum loquitur, nisi tres illae scenae intercedant, minime congruunt cum iis, quae scena V. 8 idem Micioni dicit. Nam priore loco sine omni ironia fratris mores suis anteponendos Demea profitetur, se, illum *agrestem*, *saevum*, *tristem*, *parcum*, *truculentum*, *tenacem* prope odit, fratrem propter comitatem et clementiam laudibus extollit. At idem scena 8 dolose et insidiose fratrem ad nimiam liberalitatem et ineptias impellit, quo ostendat, quam imprudenter agat is, qui nonnisi comitate et donis amicos esse parandos censeat[25]). Iam ridet quod antea summopere iudicarat esse affectandum. Scilicet antea (V. 3) cognito duritiae suae et tenacitatis vitio, id quod prorsus oppositum est, censebat esse exoptandam, mox (scenis 5, 6 et 7) usu didicit, nimium hic quoque vitiosum esse; denique veram viam, quae media est, invenit et Micionem fratrem, a quo antea doctus et institutus erat, ipse docet instituitque. Nam id agere poetam, ut etiam Micionis aliquantum nimia et imprudens indulgentia coerceatur, nemo est qui

---

24) *ἐν ὕπνῳ* videtur in *γυμνάτερον* latere.

25) Apertissime hoc docent verba eius V. 8, 35: *Suo sibi hunc gladio iugulo* (sc. Micionem).

non videat. Iam autem apparet, scenas V. 5, 6, 7, quibus sola largitate non veros amicos, sed assentatores parari Demea experitur, ad efficiendam illam in eius animo mutationem esse prorsus necessarias, neque a Menandri fabula abesse ullo modo potuisse.

Restat iam unum, in quo a Grauerto recedendum videatur. Etenim ad V. 8, 15 Donatus *Apud Menandrum*, inquit, *senex de nuptiis non gravatur: ergo Terentius εὑρετικῶς*. Quod quum Lessingius (Hamb. Dramat. II. p. 382) falso ita acciperet *Bei Menander fällt man dem Alten mit der Heirath nicht beschwerlich*, atque adeo vituperaret Terentium propter intempestivam mutationem, refutatus est a Grauerto (p. 146). Sed ne Grauertus quidem verum enucleavit. Merito enim mirere, *apud Menandrum senem de nuptiis non gravari*, quod prorsus est contra artem. Nam id agitur ut exsuperet fratrem liberalitate et comitate Demea idque ut Micio aegre ferat, vel certe nimium arbitretur esse. Quapropter et (V. 8, 1) subirascitur Demeae, quod is *maceriam in horto* dirui iusserat (V. 7, 10) et (V. 7, 27) invitus Hegioni agellum concedit, et (V. 9, 3) manumissione dignum esse Syrum aegre concedit. Hanc ob causam etiam nuptiis aliquantum certe refragari senem, prorsus necesse est. Praeterea autem si apud Menandrum omnino non gravari senem dicere voluit scholiasta, cur id adnotavit ad versum 15, non 10, ubi gravari Micio incipit? Scilicet, quia non scripsit, quod nos hodie legimus, sed non *tantopere* senem aut *alio modo* gravari apud Menandrum.

Haec igitur, quae disputavi, si coniunxeris cum Grauerti dissertatione, probabis fortasse iudicium, quod de tota Adelphorum compositione inde consequitur, *excepta ea, quam de Diphilo sumpserit, particula presse Terentium per totam fabulam Menandri vestigia esse secutum*. Quod iudicium quum non conciliari videatur posse cum eo, quod Hermanno placuit (in Disputatione de Adelphis) breviter in eius ratiocinationem inquiramus. Ac summa quidem dissertationis Hermannianae versatur in investiganda differentia, quae inter latinae graecaeque fabulae intercesserit

principia. Eam enim quam vulgo credatur, maiorem fuisse, inde suspicatus est Hermannus quod Varro (in vita Terentii a Suetonio scripta) causam inde repetat, quapropter Adelphos pariter, ut reliquas fabulas populo probaverit, unde non iniuria colligatur, iam ipsam principii mutationem cum toto illo artificio, quo Terentius fabulam Menandream Romanorum stomacho accommodare studuerit, aliquo modo coniunctam fuisse (p. III.). Quod argumentum quam firmum sit, ut omnes videant, exscribam ipsa Suetonii verba (ed. Westerh. p. XXVIII.): *Et hanc autem* (sc. Andriam) *et quinque reliquas aequaliter populo probavit. Quamvis Volcatius de enumeratione omnium ita scribat: Sumetur Hecyra sexta ex hisce*[26] *fabulis. Eunuchus quidem bis acta est meruitque pretium, quantum nulla antea cuiusquam comoedia, id est, octo millia nummum, propterea summa quoque titulo adscribitur. Nam Adelphorum principium Varro etiam praefert principio Menandri.* Quis, quaeso, est, qui possit hinc colligere cum Hermanno, Menandrei principii mutationem in rebus gravioribus constitutam fuisse? Prorsus enim sufficit ad commendandam atque adeo praeferendam graecae fabulae latinam, si cum Grauerto raptionem psaltriae apud Menandrum tantummodo narratam esse a Demea censemus. Ad hanc narrationem in Graeco exemplo necessario paulo longiorem, quam quae apud Terentium scena I. 2. legitur, Grauertus fragmentum retulit ab Athenaeo X. 431. c. commemoratum,

Ὀκτὼ τις ὑποχεῖν ἀνεβόα καὶ δώδεκα
Κυάθους, ἕως κατέσεισε φιλοτιμούμενος,

quo appareat non solum pessimum Aeschini facinus, raptionem puellae, sed etiam commissationem, unde ea nocte non redierit (cf. I. 1, 1) a Demea fratri per vociferationem iramque narratam esse. Sed Benfeius (transl. germ. pag. 934) non inepte suspicatur, verba haec esse militis cuiusdam et desumpta ex Menandri Ἁλιεῦσι, in qua fabula talis persona fuerit. Cui

26) Westerh. manco versu *his* pro *hisce*.

coniecturae multum probabilitatis accedit eo, quod simili librarii errore alterum fragmentum (ap. Stob. Flor. LVI. 3. ap. Mein. p. 76. frgt. VIII.), quod ad Ἁλιεῖς pertinere Grauertus (Anall. p. 143 sq.) et Meinekius viderunt, male ad Adelphos erat relatum. At Hermannus id, quod de *narratione* Grauertus disputaverat, cupide arripiens *Nos*, inquit, *nihil verisimilius inveniri posse arbitramur, quam ut hanc ipsam commissationem, cuius occasione Aeschinus fratris sui amicam psaltriam rapuisset, in Menandreae fabulae initio ita narratam esse statuamus, ut quantum eius scire spectatorum interesset, iam ante Demeae adventum cognitum haberent. Quod enim Grauertus ipsi Demeae hoc dari potuisse censet, ut quae poeta spectatores cognoscere vellet, exponeret, narrationem eius, quae apud Terentium legitur, ita tantum suffecisse arbitramur, si mox similis Terentiano secundus actus sequebatur, unde spectatores verum illius raptionis consilium Aeschinique facinus pro fratre perpetratum cognoscerent, sin minus, longe rectius prologo narratio committebatur quem exponendis ante actis solemnem locum fuisse constat, idque ut multo probabilius iudicemus, alius quoque Menandri versus apud Donatum quamvis corruptissimus efficit*[27]). Prologum autem dicit Hermannus non eum, qui ab actore sine ornamentis et quodammodo extra fabulam pronuntiabatur apud Plautum Terentiumque, sed quod nos consuevimus *expositionem* vocare, quae continet narrationem rerum, quibus actio nititur et tribuitur uni ex fabulae personis. Eum prologum Hermannus tribuendum fuisse Syro dicit (pag. IV.) *qui, Aeschino cum lenone ad forum digresso, cum Ctesiphone et psaltria domum redierit hisque*

27) Fragmentum dicit Hermannus a Donato ad Adelphos II. 1, 45 allatum a Menandro αιγος τη ποιων τοιγος ρπατο τον γρωνον οικετην λαβων, ex quo versus excudere conatus est, sed infelici successu etiam propterea, quod non ipsi lenoni verba tribuit. Ego in ρπατο videor mihi tertiam personam verbi agnoscere, quo Aeschinum in se invectum esse leno narraverit.

intromissis, quae apud Terentium se cum Micione egisse (III. 3. 10) *paucis tantum narrat, illic pluribus ante spectatorum oculos egerit, donec Demea adveniente duos fratres solos iurgiis suis relinqueret. Et Micionem quidem*, dicit Hermannus, *totam illam filii tractandi rationem et institutum, quod apud Terentium solus secum eloquitur, etiam Syro exponere potuisse, non est, quod multis doceamus, neque ipsa illa, quae in prima fabula secum ipse tantum loqui potest, a Menandro aliena ducimus, modo ne statim conspectum ab eo Syrum statuamus.* Hanc errorum, ut ita dicam telam satis subtilem non ita difficile est dissolvere. Nam primum, quod dixit Hermannus, propterea non sufficere Demeae narrationem (I. 2) quoniam apud Menandrum non similis actus secundus secutus sit, id eo corruit, quod supra demonstravi, nonnisi priorem partem primae scenae actus secundi non esse e Menandro sumptam. Tum cur corruptum illum Menandri versum ad II. 1,45 a Donato citatum, quo vapulasse leno narratur, si noluit, ut par erat, ad ipsa lenonis verba referre, ad prologum potius, quam ad Demeae narrationem retulerit, nemo perspiciet. Deinde autem, quis credat, Micionem cum *servo* educandi filii rationes communicasse, (nam quod in Andria Simo senex cum *liberto* tam familiariter loquitur, alia res est); aut quis potest in Micionis oratione (I. 1) talem locum invenire, ubi conspecto Syro diverbium in graeca fabula incepisse videatur, quum quae Micio dicit, omnia ita coniuncta sint, et tam placide decurrant, ut interpellatum eum esse minime sit credendum? Similiter comparata sunt ea, quae Hermannus ad exornandum et stabiliendum commentum suum addidit. Scilicet *iure*, inquit, *miramur, quomodo Demea apud Terentium famam raptionis ex ore populi acceptam ad fratrem perferat, antequam ipse Aesehinus vel Ctesipho cum praeda sua domum patriam repetierit, atque hoc ut excusationem inde habeat, quod mox lenonem cum Aeschino altercantem puellamque retrahere studentem in scena conspicimus, quo quidem convicio multum temporis absumtum fuisse credibile est, apud Menandrum certe,*

qui istiusmodi scena carebat, neutiquam decuit Micionem, qui domi suae remansit, nuntium de filii sui facinore a Demea demum, qui rure advenit accipere. At profecto tali argumento non uti debebat vir doctus, quem parum talibus in rebus veteres comicos poetas temporum rationem respexisse, reputare decuit. Sed hic ne neglexit quidem tempora Terentius. Nihil enim mirum est, Micionem, qui vix e lecto surrexerit ignorare, quod in publico factum Demea urbem prima luce percurrens ab uno alterove in via facile potuit resciscere. Nam in eo quod dicit I. 2, 13 *in ore est omni populo*, agnosces hominem iracundia et furore exagitatum et ingratum quicquid verbis exaggerantem.

Non probabilia hucusque Hermannus narravit; quod autem iam sequitur, tam mirum est et paradoxum, ut serione an ioco prolatum sit liceat dubitare. Namque *Quid*, ait, *quod ipsa Micionis verba apud Terentium, quibus Demeam obiurgantem excipit* [28]*), ita comparata sunt, ut si ea ex graeco exemplari expressa censeamus, profecto prodere videantur, illic iam notum homini fuisse, quapropter Demea veniret, atque etiam, si hoc quoque ita explicari possit, ut dicamus, Micioni, diuturnae fratris tristitiae assueto, nihil insoliti in hoc genere accidere potuisse, habet tamen haec ipsa lenitas, quod primo aspectu vehementer offendat, neque omnino affirmare audemus, in graeco exemplari morum descriptionem, in qua praecipuam Terentii laudem positam fuisse constat* [29]*), in utroque fratre tam accurate expressam fuisse, ut illic quoque, quod apud Terentium sane licet (!), si quid ex actionis natura sufficientem explicationem non haberet, ex morum observatione suppleri et quasi compensari posset (!!).* Audio; scilicet quia

28) Ad. I. 2, 3 *Dixin hoc fore?*

29) Non. p. 374 *In argumentis Caecilius poscit patmam, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus.* Charis. Institt. gramm. II. pag. 215. Putsch. *ἤθη ut ait Varro, nulli alii servare convenit, quam Titinio et Terentio.*

morum descriptione excelluit Terentius, Menander non potuit Micionis mores ita pingere, ut hinc ea, quae agit, satis idoneum explicatum haberent, sed coactus erat, facere eum gnarum facinoris antequam ita loqui eum sineret, ut loquitur apud Terentium (I. 2, 3). Vide autem quam sibi ipse repugnet Hermannus, qui quum antea ex Terentii in moribus describendis praestantia concluserit, non posse eandem artem cogitari in Menandro fuisse (pag. V.), nunc in Demea et Micione Terentianis morum inconstantiam sibi videatur invenisse et eam non potuisse a Menandro proficisci contendat. *Nam neminem*, inquit, *fugit, secundum eam tractationem, qua Demea in media fabula a Syro pessimis exemplis ludibrio habetur, longe alium exspectari posse exitum, quam eum, quo nunc quasi partibus mutatis ad extremum Demea ab omnibus unus laudibus extollitur, Micio nolens atque invitus omnium voluntatibus obtemperare adigitur.* In his praeterea, quod sibi non constans fuit Hermannus, hoc quoque peccatum est, quod stupidiorem credit Demeam, quam revera est [30]), tum autem, quod quibus laudibus extollitur ab iis hominibus, quos largitate sibi conciliaverat, eas veras laudes Hermannus arbitratur, quum sint merae assentationes. Quod autem ad Micionem attinet, quo indignum putat Hermannus, quod fratris filiique voluntatibus obsequatur, debebat eius mores minus etiam sustentatos esse a Menandro contendere, si, de qua re non dubitavit Hermannus, in eius fabula senex omnino de nuptiis non gravabatur [31]). Ita postquam Hermannus morum inconstantiam in personis Terentianis reprehendit, sic pergit: *Quod etsi non eam vim habet, ut eorum quemquam revera moribus suis excidere dicamus, tamen hoc ipsum, quod Demea simulata largitate fratris*

30) Subtilissime Donatus ad IV. 2, 21 de Demea *Mire*, inquit, *Terentius eos ipsos, qui falluntur, ex aliqua parte cautos facit. Nam quae gratia est aut delectatio, hominem stultissimum falli?* In editione Westerh. pro *hominem* legitur *non*, quod est mutandum aut delendum.

31) Cf. de hac re quae supra pag. 31 disputavi.

imbecillitatem deridet, et iusta poena afficit, longe intelligentiorem ostendit, quam qualem in colloquiis cum Syro cognoscimus; eademque Micionis causa est, quem quo prudentius Aeschinum filium de stupro Pamphilae illato castigantem videmus, eo magis miramur, ne adeo quidem animum suum offirmare posse, ut temerariis illius precibus de matre puellae ducenda negare sustineat. In his operae pretium est videre quantopere se torqueat Hermannus simulans id se excusare et defendere, quod eodem tempore reprehendit.

Nihil autem potest magis vagum esse et incertum, quam argumenta, quibus graecae fabulae latinaeque principia differre ait eo, quod *apud Terentium omnia* (scil. raptio psaltriae) *nescio Micione gerantur, isque peracta demum re certior factus facinus collaudet, apud Menandrum autem statim redeuntes a commissatione apud se receperit, eoque modo non tam lenem et imbecillum (!) senem, sed Periplectomenis illius Plautini instar hilarem et festivum cooperatorem se exhibuerit?* Haec disputatio, qua non modo in scenarum dispositione varietatem, sed in moribus Terentiani Menandreique senis diversitatem non mediocrem subesse contendit, videamus quibus nitatur argumentis. *Si medios*, ait Hermannus, *fabulae actus sequimur, quos integros transtulisse Terentius videtur, verisimillimum erit, Menandrum totam actionem ita instituisse, ut Micionis animus lenis et paternus clarissimis semper luminibus splenderet, Demea autem obiurgator post diuturnam irrisionem stolida sua fiducia excussus postremo ipse manibus pedibusque ad hostilia signa transfugeret eoque pacto argumentum, quod nunc varia et inexspectata vicissitudine quasi fluctuat(!), simplici atque aequabili filo ad finem deduceret. Huic autem instituto multo profecto magis conveniebat, ut statim ab initio appareret, quanto in errore Demea versaretur, quum Aeschinum sibi, non Ctesiphoni psaltriam rapuisse cen-*

seret, suumque Micioni tanquam exemplar iuvenis iactaret, quo facto iurgium illud, quod apud Terentium moribus tantum utriusque senis declarandis inservit(?), apud Menandrum dissimulante Micione, quod iam tum bene nosset statim ab initio ad stuporem Demeae irridendum convertebatur. Vides tantam esse horum argumentorum vim tantumque splendorem, ut operam ludere videatur, qui velit contra disputare. Itaque ego nihil possum addere nisi hoc unum, *in tota disputatione mihi Hermannum persuasisse aut argumentis probasse nihil.*

VITA.

Fuerthii natus sum anno MDCCCXXI patre *Ioanne Guilelmo Ihne*, matre *Anna Barbara Braun*, quos ambos morte mihi ereptos lugeo praematura. Pater quum anno aetatis meae octavo Bonnam cum familia migrasset, primis litterarum rudimentis imbutus sum a *C. Vogel*, viro egregio et de me meritissimo. In Gymnasio deinde quum inferiores scholas percurrissem, *C. G. Lucas*, praeceptor dilectissimus, incertam oblectationem et vagam, quam e cuiusvis generis doctrina et ipso discendo percipiebam, fixit in scriptoribus graecis et latinis, quibus ex eo tempore totum me dedi. Neque minus de me meritus est *L. Schopenus*, qui levitatem quandam et negligentiam puerilem si non omnino potuit restinguere, at certe effecit monendo et castigando, ut studerem minuere et prorsus evitare. Civibus academicis adscriptus anno MDCCCXXXIX ad duos me potissimum vivos applicavi, quos gaudeo posse in praeceptoribus nominare, *Fr. Th. Welckerum* et *Fr. Ritschelium*. Ac *Welckerus* quidem quum in interiores antiquitatis recessus subito me raperet, et mythologiae me et artis et litterarum utriusque populi deliciis impertiretur; *Ritschelius* eam mihi viam monstravit, qua posset ad ea omnia perveniri. Ab eo enim dedici, quid sit ars critica et quomodo cum fructu sit exercenda. Idem una cum *Welckero* in Seminario Philo-

logico, cuius per triennium fui sodalis ordinarius, primas exercitationes criticas moderatus est, ita ut sperem, fore ut praestem me aliquando in ea arte non ineptum. Tertius mihi nominandus est *Schopenus*, quo in academia non minore cum fructu quam antea in gymnasio, usus sum praeceptore. Audivi praeterea *Brandisium*, *Fichtium*, *Loebellium*, *Diezium*, *Ritterum*, *Urlichsium*, *Heimsoethium*, et quem vehementer doleo mihi non prius evenisse praeceptorem, *Dahlmannum* his ipsis mensibus hibernis. Quibus viris omnibus debitas summis in me meritis gratias ago quam maximas.

THESES CONTROVERSAE.

1. Nihil intelligimus, nisi quod ipsi procreaverimus.
2. Quodcunque facimus aliorum causa, etiam nostra causa facimus.
3. Porsena non ante mortuum Tarquinium Superbum bellum intulit Romanis.
4. Foedere per Sp. Cassium icto a. u. CCLXI Romani Latinique non ab Aequis Volscisque, sed ab Etruscis impendens periculum studebant a se defendere.
5. Dei, qui Graecis Ἑρμῆς, origo ex solis notione est deducenda.
6. Omnes philologiae partes dignitate et utilitate pares.
7. Critica ars ab hermeneutica seiungi et pro se collocari nequit.
8. Ratio plus valet quam codicum vetustissimorum auctoritas.
9. Aristophanes Nubibus voluit odiosum populo reddere Socratem.
10. Nimium fuit Bentleii studium, quo verba apud Terentium emphasi notata sub ictu voluit collocari.
11. Terentii aetate eae fabulae, quas novas vendiderant poetae, postquam semel actae erant, in dominium redibant poetarum.
12. Hecyra Terentiana translata est ex Apollodoro.

13. Nunquam scripta fuit Apollodori Epidicazomene.
14. Versus qui legitur Ter. Heaut. prol. 6

Duplex quae ex argumento facta est simplici

insiticius est.
15. Item versus Ter. Phorm. prol. 16

Quem diceret, nisi haberet, cui malediceret.
16. In Hecyrae prologo priore, qui in fine mancus, verba coniungenda sunt ita: *Non ob eam rem voluit iterum referre, ut iterum posset vendere, sed . . . .*
17. Versus Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται a scholiasta Bembino ad Ter. Heaut. II. 4, 4 adscriptus non ex Menandri cognomine fabula est desumptus.
18. Idem iudicandum de graeco fragmento Πᾶς πατὴρ μωρός ab eodem Scholiasta allatum ad Ter. Heaut. III. 1,31.

NOV 4 1901

OCT 26 1903

APR 25 1904

OCT 19 1908



Lt 6.507
Quaestiones Terentianae ...
Widener Library
005368658
3 2044 085 238 426